



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Episcopo Ratisponensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

& præfatam Spirensē Ecclesiam commutatio facta proponitur de communi & libera voluntate, quam carissimus in Christo filius noster Fredericus Siciliæ Rex illustris in Romanum Imperatorem electus obnixè petit auctoritate apostolica confirmari. Ejus igitur precibus inclinati, commutationem ipsam, sicut sine pravitate providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, & in ipsarum abbatiarum dispendium non redundat, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. usque incursum. Datum Signiæ VII. Idus Septembris, anno XV. I.

GREGORIO SANCTI THEODORI  
Diacono Cardinali apostolicæ sedis Legato.

**G**Rave gerimus & indignum quòd cum jam multòtiens mandaverimus per te Pandimitanæ Ecclesiæ in pastorem de persona idonea provideri, sicut accepimus, mandatum nostrum nondum extitit effectui mancipatum. Nolentes igitur ejusdem Ecclesiæ provisionem ulterius prorogari, si fortè nondum est illi de pastore provisum, venerabilem fratrem nostrum [ Berardum ] Barensem Archiepiscopum, visum, sicut experimento cognovimus, providum & honestum, ac nobis & carissimo in Christo filio nostro Frederico illustri Regi Siciliæ in Romanū Imperatorem electo devotum pariter & fidelem, eidē Ecclesiæ concedimus in pastorem, Capitulo ejusdem Ecclesiæ nostris dātes litteras in præceptis ut eidem tamquam pastori suo intendant humiliter & devotè. Ideoq; discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandāmus quatenus præceptum nostrum sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo facias effectui mancipari, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compefcendo. Datum Signiæ IV. Idus Septemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

*Scriptum est super hoc Capitulo Panormitano.*

EPISCOPO RATISPONENSI.

**G**Audemus in Domino & in virtutis ejus potentia gloriamur quòd in commisso tibi negotio crucis Christi te laudabiliter diceris exercere ac bene divina cooperante gratia proficere in eodem, caritatem tuam monentes attentius & hortantes quatenus supernæ retributionis intuitu illud, calcatis pro Christi nomine cunctis difficultatibus, taliter exequaris ut cum il-

Tom. II.

lis qui euntes ibant & stebant mittentes semina sua exultationis manipulos valeas reportare. Quia verò propter diei malitiam evectionum numero, quem tibi taxavimus, contentus esse non potes, utpote qui cum eo longè à civitate tua per duo miliaria, sicut tuis nobis insinuasti litteris, procedere non auderes, nos remedium quod contra impedimentum hujusmodi tua providit discretio approbantes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ubi personaliter negotium exequi nequiveris memoratum, auctoritate nostra, prout ipse cogitasti, committas viris honestis & providis vices tuas. Et quoniam de tuæ circumspectionis modesta fiduciam gerimus pleniorē, taxandi tam tibi quàm illis evectionum numerum quem secundum locorum & temporum qualitatem videris expedire liberam tibi concedimus facultatem, moderamine quod ipse providisti circa eos qui ministrabunt procuraciones, cum res ita videbitur postulare, servato, ut videlicet duarum vel trium aut etiam plurium parrochiarum populis in unum ad audiendum verbum Domini convocatis, eorum Prælati simul, ubi singuli non suffecerint, expensas bajulis verbi Dei exhibeant moderatas. Concedimus etiam ut incendiariis & iis qui manus temerarias in Clericos aut alias personas ecclesiasticas injecerunt, volentibus suscipere signum crucis, satisfactione injuriarum exhibita competenti, auctoritate nostra munus absolutionis impendas, nisi forsan aliquorum excessus adeo graves existerent & enormes quòd merito essent ad sedem apostolicam transmittendi. Ad hæc, omnes qui, te circa hujusmodi negotium occupato, possessiones aut alia Ecclesiæ tuæ bona temerè præsumperint invadere vel turbare, in quacunque fuerint diocesi constituti, tibi liceat appellatione remota per distractionem ecclesiasticam coercere. Taliter ergo in omnibus exhibere te studeas prudentem, sollicitum, & modestum quòd per hoc crescas & nomine apud homines & merito apud Deum, nosque fraternitatem tuam magis ac magis apostolica prosequamur gratia & favore. Datum Signiæ IV. Idus Septemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

ALBANENSI EPISCOPO  
apostolicæ sedis Legato.

**C**VM causam super postulatione de venerabili fratre nostro Heracliensi Archiepiscopo & electione de dilecto filio

IIiii

Epist. 112.  
De electione  
Patriarche  
Constantinop.

Epist. 110.  
Transfert Archiepiscopum Barensem ad Ecclesiam Panormitanam.

Epist. 111.  
De numero evectionum.